

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

G.A. Langguth P.P.O. Programma De Potissimis Cancris Mamarum Causis
Prudenter Occupandis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

G. A. LANGGUTH P. P. O.

P R O G R A M M A

DE POTISSIMIS CANCRI MAMMARUM
CAUSIS PRUDENTER OCCUPANDIS.

Witembergæ 28 Octobris anno 1752.

EX omnibus morbis, quibus cum sexui feminino in primis confictandum est, cancro mammaram exulcerato nullus ipsi accidit, neque gravior in universon, neque cruciatu tetrior, aut horridior adspectu, aut longa denique, & ad omnia remedia, ad ignem ferrumque, rebellis, pertinacia crudelior. Ejusmodi enim sœvitia recte crudelissima habetur, quæ id efficit, non ut statim moriantur miseri, & ab intolerabili, nihilque sibi profutura, calamitate liberentur, sed ut putri tabo squalentes paulatim elanguent, seque lenta & difficili morte mori sentiant. Quare, quum tanto huic malo nullum adhuc inventum sit auxilium, neque anceps etiam remedium quid proficiat, eo sollicitius de eo cogitandum est, ut ejus, prima inter incipia detecti, impetus avertantur, tamque maligni & pestilentis ulceris causæ, nisi omnes, potissimæ tamen, tempestive occupentur.

Ex ipsa autem cancri natura, quibus causis ejus natales debeantur, optime intelligitur. Quam ob rem, quæ ad illam declarandam pertinent, brevissimis præmittenda sunt. Equidem duplicis generis vulgo cancer habetur; alterque incipiens occultusque, alter apertus, sive exulceratus, dicitur: negari tamen non potest, non, nisi hunc, qualemcumque cancri, aut formam, aut indolem, referre, quodque adeo consequitur, hoc nomine proprie appellandum esse. Sed, sicuti exulceratus cancer occultus, sic occultus scirrhi, quem Græci vocant, soteles est: unde efficitur, hujus quæ sit origo atque indoles, ante omnia docendum esse.

Est vero scirrhus, ita ab sua singulari duritia dictus, tumor, durus, renitens, pisi sæpe aut fabæ magnitudinem non excedens, omnis doloris expers, glandulosas partes in primis occupans, a materia crassa & immobili, glandulæ folliculum ductusve distendente, oriundus, nulla graviore noxa, nisi æterno cancroso ulceris metu, ad ultimam non raro senectutem perdurans. Contra ea incipiens & occultus cancer is est, ubi ab hoc tumore irritato inflammatoque, ejusque materia emollita, acri, & in putredinem ruente, dolor tumori exquisitus, cum incremento, accedit, & benignus paulatim in malignum convertitur; donec, ubi tandem humor
vitio



vitiosus, rupto velamento, viciniam omnem occupat, duritiem & asperitatem auget, erosa suprema cute, lividisque & recurvatis circa fungosum & callosum tumorem venis, tanquam cancrinis pedibus, quoque verus serpit, ex sinuoso, quod fecit, ulcere destillat, fetore intolerabili omnia inquinat, vivam carnem vorat, & horrendis cruciatibus hominem enecat, occultus hactenus in apertum cancrum, in immedicabile cruentumque vulnus, degenerat.

Duo igitur maxime sunt, quibus ab ista calamitate tutum se præstare potest amabilis sexus: quorum primum atque princeps est, ut ne qua occasione nascenti scirrho aperiatur; alterum deinde, non minoris momenti, ne natus scirrhus qua causa male irriteretur; aut irritatus tamen, & primo dolore se manifestans, ut sine mora exstirpetur. Cujus utriusque, ut summa necessitas, sic varius quoque ac diversus modus, est.

Prioris cautionis necessitatem vel ipsa imperat delicatissima mammillarum fabrica, utpote quæ scirrhorum generationi inprimis favere cernitur. Exquisito enim sensu gaudent, adeoque a leviori etiam causa irritantur, inflammantur, partiumque solidarum robur atque tonus amittitur. Multa pinguedo glanduloso ejus corpori circumfusa est, quæ & sanguinis, cum reliquis humoribus, circuitum languidiorem efficit, & si quam obstructionem aut inflammationem susceperunt, perfectam illarum resolutionem, aut longe difficillimam reddit, aut plane impedit. Summus ipsis intercedit cum utero consensus, quo ipsis in societatem malorum, quæ uterum affligunt, frequenter veniendum est. Et ipse denique secernendus asservandusque in mammis lacteus humor, lentore suo & terrea, qua dives est, materia, obstructionibus, & scirrhis irrefolubilibus, frequentem occasionem dat. Horum itaque, quæ firmissimo innituntur fundamento, & quotidiana experientia, teste satis locuplete, confirmantur, cogitationem nunquam ex animo suo sexus dimittat, quin potius, quam parva soleant esse magnorum morborum initia, diligenter sibi representet. Juvat hanc rem nonnullis illustrare exemplis.

Observabunt mecum, scribit *Bohnius* (a), qui recens natis infantibus adstant, horum mammillas lacte seroso turgere, & quidem ita, ut, si hoc non tempestive atque rite exprimatur, illæ indurentur, inflammentur, ac suppurent, pariter ac earum nutricibus, a lacte coagulato & casefcente, contingit. Quod pluribus exemplis & rarioribus observationibus, *Deusingius* (b), *Ill. Büchnerus* (c) *Schurigius* (d), alique, confirmant. Rudis igitur & rerum suarum minus, ut solent, perita obstetrix, dupliciter peccare potest, aut negligentior, serosi hujus humoris expressionem

(a) *Circul. Anat. Phys.* p. m. 36.

(b) *De Lacte* p. 276.

(c) *Miscell. Physic. Medic.* A. 1724. M. Mart. p. 189. Conf. *Annal. Physic. Medic.* A. 1724. M. Aug. p. 216.

(d) *Syllepfol.* p. 344.

Tom. 11.



tionem intermittens, aut officiosior, rusticaque manu teneram mammillam nimium sollicitans atque comprimens. Utroque enim modo, & relicto coactoque humore, & ductulis lactiferis coalescentibus, ad obstructions suscipiendas, scirrhiq; facilitandam generationem, mammae a prima statim juventute disponuntur aptanturque.

Amica etiam mamillae contrectatio, ut utrique sexui plurimum voluptatis adfert, mutuosque amores auget & incendit: ita non minus, furiosam ejusmodi libidinem celerem saepe sequi poenitentiam, res nova non est. Frequentiore enim compressione sua perit mamillae gratia, pendula fit, robore suo exuta ad officium olim faciendum inhabilis, sed ad tumores recipiendos fovendosque habilissima. Memini ejusmodi inscitios jocos & fugitivas violentasque mammaram sugillationes atque vellicationes, quas lascivam commode dixeris & petulantem saevitiam, semel iterumque scirrhi, mammae, ipsiq; demum cancro, obnoxiam fecisse, inprimisque fervidum mariti amorem optimae, & nunquam elugendae, uxori fatalem accidisse funestumque.

Taceo vehementem mammaram contusionem, thoracum, nimis rigidorum, constrictionem & angustiam, maxime si ferreae cataphractae nascenti gibbo opponuntur, frictionem duriores; verrucarum, mammas defaedantium, rodente medicina tentatam, dolorosamque, extirpationem & quae sunt id genus externarum violentiarum alia; quae scirrhi cancroque, contra opinionem, occasionem suppeditasse frequens experientia loquitur. Sicco tamen pede praeterite non possum illum, satis hodie frequentatum, cosmeticorum, quae dicuntur, remediorum abusum, quibus fucati candoris medicamentis, formae & pulchritudinis laudem venantes feminae, faciem pectusque liberaliter illinunt, macerantque, dumque cutem purgare, & varos lenticulasque curare laborant, se morbis obnoxias reddunt gravissimis. Nota mihi fuit, scribit b. *Platnerius* [e] femina nobilis & honesta, quae, ut haec faciei vitia occuleret, intemperantius usa est liquore, qui multum sic dicti sublimati habuit; exulceratae ei fuerunt fauces, adeo, ut malum, ab initio neglectum, post nullam curationem receperit, sed fuerit mortiferum. Atque *Hieron. Mercurialis* [f] testatur, se crebrius advocatum fuisse ad feminas, eodem veneno infucatas, quibus ex eo & facies & pectus intumuerant. Illa enim pharmaca, quae chymica arte, aliisque modis, ex argento vivo parantur, pestifera esse & venenosa indolis, effectusque tarditatem funesta non raro gravitate compensare, damno suo saepe experiuntur, quibus non aevum, sed hoc fuco laxata cutis, sulcisque genarum deformis facies, uva passa rugosior corrui.

Inprimis autem feminae omnem curam atque operam in id conferendam putent, ut ne qua culpa sua, aut negligentia & levitate, mensium turbeatur negotium, aut plane supprimatur. Quam amice enim uterus cum mam-

(e) *Opuscul.* Tom. II. p. 134.

(f) *De Decorat.* c. 12.



mammillis conspiret, ipsæ non nesciant, quæ, dum menstruus fluxus instat, mammas, non sine omni pruritu atque dolore, intumescere, hoc autem lunari tributo rite exsoluto, easdem ad frugem iterum redire, sentiunt. Immo vero puerperis, quæ prolem lactandi officium non defugiunt, lochia parcius fluere, nutricesque a mensium fluxu immunes esse, inter omnes constat. Non dissimili modo, utero male affecto, in dolorum atque ægritudinum, hinc numerose propullulantium, societatem mammillæ rapiuntur. Quin frequenter etiam accidit, ut plurima vis morbi in ipsas infantes divertat atque transeat. Unde nimirum est, quam ob rem in illorum indice morborum, quos turbati suppressiveque menses progenerant, mammaram obstructions, pituitosas intumescencias, inflammationes, erysipelaceos tumores, abscessus scirrhosque, frequentissimos offendas. Et, quid quæso vel in vulgus magis notum est, artemque facientibus crebrius animadvertitur, quam scirrhos cancroscque, congruos quasi ætatis illius, qua mensium fluxus cessare solet, morbos haberi, benignosque mammaram tumores, tum quidem maxime, incendi, & malignitatem contrahere? Discant ergo feminæ sibi, suisque cupidinibus, quo imperio nihil ipsis gloriosius aut magis frugiferum est, imperare, consilium monentis amici, Medicique, suo fungentis officio, non contemnant, genio suo non omnia promiscue indulgeant, nullis se legibus, quæ ad diætæ, ad cibi potusque, rationes pertinent, obligari non putent, subitas corporis & mammaram refrigerationes fugiant, suspectas contra habeant ignitabulorum delicias, animumque inprimis adversus in cervicibus suis hærentes gravissimos hostes, adversus iracundiam, excandescenciam, mœrorem, tristitiam, vanos metus terroresque, diligenter muniant atque obdurent.

Hæc ad feminas, sui, ut ita dicam, juris, bene recteque valentes, nec Medico, ejusque adeo consilio & regimine, magnopere indigentes, pertinent. Longe plura supersunt, iis accurate observanda feminis, quæ, in matrimonium amata collocataque, aut utero conceperunt, aut partum enixæ sunt, aut prolem lactant, aut lactare recusant; quæque jam mammas dolentes, obstructas, inflammatas, induratas, aliterque vexatas & affectas, habent: ut nimirum nascenti scirrho, cancroque futuro, manifestæ & occasionales causæ subducantur, natiq; scirrho irritatio prudenter caveatur. Quorum quidem tractationem in aliam, huic non dissimilem, occasionem reservare cogimur.



... non ... dolor ...



... non ... dolor ...

DIS-

2 2 2 2



CAPUT PRIMUM.

Historiam hujus morbi sistens.

Mulier ex vicino Palatinatus superioris oppido, *Langenthal* dicto, duabus horis itineris ab Academia hac Altorfina distante, nomine *Anna Bayerin*, quadraginta octo annos nata, macilenta, temperamenti melancholico-cholerici, mater octo liberorum, circa finem Januarii anni hujus millesimi septingentesimi vigesimi huc Altorfium in traha, quia ambulare amplius non poterat, ferebatur, cujus maritus & agnati Excell. D. *Præsidem* accedentes referebant, mulierem illam mamma horrendæ magnitudinis, duo quasi capita humana æquante, vehementer affligi, atque propterea ipsius auxilium openque implorabant. Accessit itaque ad malum ipsum inspiciendum, atque statum morbi accurate explorandum. Accedens vero reperit mammam dextram prædictæ magnitudinis, & figuræ talis, sicuti eam supra exacte delineari curavimus. Color erat ex atro-rubente & livido mixtus, fere instar partis ad sphacelum properantis, aspectu horrendus, intermixtis hinc inde venis atro sanguine repletis. Figura non erat rotunda sive spherica, verum ex majori spherâ A, a latere dextro minor quasi spherâ B prominebat. Major autem spherâ multis corporibus verrucosis, quorum viginti circiter numerari poterant, CC, obstita erat, quæ magnitudine, figura & colore papillæ adeo fuerant similes, ut ægra ipsa veram papillam a reliquis verrucis distinguere amplius non potuerit; quæ verrucosa corpora aspectum horribilem non parum augebant. Mulier valde jam erat debilis, & partim ob virium imbecillitatem, partim ob pondus hoc enorme pectori appensum atque incumbens, surgere aut ambulare vix amplius valebat. De doloribus conquerebatur vehementibus, urentibus, & quasi trahentibus versus dorsum & scapulas, totumque thoracem stringentibus, ob quos misera enixissime auxilium rogabat. Laudatus vero Excellentiss. D. *Præses* non solum omnes circumstantias probe considerans, sed etiam præterita, ortum & progressum mali examinans, judicavit atque simul indicavit ægræ & adstantibus, malum hoc esse periculi plenissimum: ægram enim jam valde esse debilem, viribusque fere exhaustam, & tumorem adeo ingentis esse magnitudinis, ut vix felix eventus sperari possit. Præ omnibus vero asseveravit, medicamentis hic nihil effici posse; attamen, quia totam molem adhuc reperiebat mobilem, neque subjectis partibus innatam sive intricatam, neque glandulæ sub axillis induratæ, aliove modo essent affectæ, neque alius morbus jam adesset; hinc spem aliquam adhuc superesse in amputatione, si huic se submittere velit, alias eam certo & brevi esse morituram. Cum vero

